



Jus Canonicum In V. Libros Decretalium Distributum

novâ Methodo explicatum, Omnibus Capitulis Titulorum (qui in Antiquis, & novis Libris Decretalium continentur) promiscuè & confusè positus, in ordinem doctrinæ digestis. Adjunctis Aliis Quæstionibus Connexis, Quæ Ad Plenam Cujusque Tituli, Aut Materiæ Cognitionem, Et Expositionem Pertinent. ...

Respondens Libro secundo Decretalium : In Quo Ordo Judiciarius, Et Qvæ Ad Judicia Pertinent, Secundùm Utrumque Jus, Canonicum, & Civile Methodicè Tractantur, & Exponuntur ; Additus Est, Præter Synopticum Et Methodicum, Alius Index Alphabeticus A Pluribus Desideratus

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1675

Titulus. XXX. De Confirmatione utili, vel inutili.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98191](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98191)

TITULVS XXX.

DE CONFIRMATIONE UTILI,
VEL INVUTILI.

Postquam in præcedentibus Titulis dictum est, quomodo sententia per appellationem, vel peregrinationem ad Sedem Apostolicam suspendatur, quæ per Superiorem, ad quem appellatum est, quandoque confirmatur, dubitari porro potest de validitate confirmationis à Superiore factæ: ideo Titulus iste ad finem huius libri subiicitur. In quo generaliter agitur de confirmatione, non tantum sententiæ, sed etiam possessionis, privilegiorum, instrumentorum, officiorum, transactionum, statutorum &c.

S. I.

Quid, & quotuplex sit confirmatio?

I.

ASSERTIO I. Confirmatio communiter sic definitur apud Hostiens. in Summa num. 1. h. t. Decim in Rubric. ad hunc Titulum, Tuschum. V. Confirmatio conclus. 704. n. 1. Confirmatio est Juris prius habiti, seu qualiti per legitimum Superiorem facta corroboratio; quia confirmatio semper præsupponit, aliquid prius esse, quod confirmetur: ac proinde sicut ratificatio est quedam convalidatio actus præcedentis, ita, & confirmatio: quæ tamen definitio solum competit confirmationi ordinariæ, quæ fit in forma communi; ut ex infra dicendis patet.

Ubi pro explicatione Notandum ex Suar. lib. 3. de legib. cap. 18. n. 2. Dupliciter potest peti, ac fieri confirmatio alicuius actus. Primò, tanquam per se necessaria ad complendum actum prius inchoatum, & non perfectum quoad substantiam suam; ut, quando v. g. in electione ad Prælaturam petitur eius confirmatio; tunc enim hæc Iure ordinario supponit, actum electionis esse validum; alioquin, si irrita est electio, etiam confirmatio est irrita: sin autem valida, tum confirmatio tribuit juri inchoato complementum, sive Jus perfectum electo, cui ante confirmationem per solam electionem non erat jus perfectè acquisitum: tribuit enim confirmatio electo potestatem administrandi, quam antè non habebat. cap. Transmissam; 15. & cap. Qualiter; 17. de elect. Abb. in cap. 1. h. t. num. 6. Secundo, potest peti, & fieri confirmatio, non tanquam per se, & absolute necessaria ad substantiam, ac valorem actus, sed ut ei maius robur, seu firmitatem, ac auctoritatem tribuat: & tunc etiam, & quidem multò magis supponit, necessariò actum esse validum, si confirmatio ordinariè, secundum communem formam fiat; quia, quod confirmatur, supponitur esse: quod enim non est, seu

nullo modo subsistit, non potest confirmari. Excipit, nisi Superior confirmans clarè significet, se actui valorem daturum, etiam si per se non sit validus, ita, ut sit innovatio quedam actus, seu nova concessio, aut provisio, ut infra explicabitur. Ceterum confirmatio fieri debet per legitimum Superiorem, neque à pari fieri potest, cum par in parem imperium non habeat, multò minùs ab inferiore. Gl. in cap. 1. V. Confirmat; de treuga, & pace. & ibid. Abb. n. 5. Hostiens. in Summa h. t. n. 5. quæ enim à privatis fiunt, approbationes potiùs, quàm confirmationes dici possunt. Barb. in Collect. h. t. in princ.

II. Assertio 2. Duplex est confirmatio, sive duobus modis fieri potest de aliquo contractu, transactione, privilegio, statuto, sententiâ, aliâve dispositione, aut actu; ut ex communi DD. tradit Suar. cit. cap. 18. num. 3. Una dicitur simplex confirmatio, seu in forma communi, & ordinariâ. Altera in forma speciali, seu ex certa scientia. Priori modo fit confirmatio, quando Princeps, vel alius Superior potestatem confirmandi habens, sine præcedente exactâ causæ cognitione, adeòque de negotio non plenè instructus, sed confusè solum, contractum, vel alium actum ab inferiore gestum confirmat in eo statu, in quo antea fuit. Posteriori modo fit confirmatio, quando fit cum perfecta notitia totius negotii, & omnium eius circumstantiarum, veluti cum tenor totius privilegii, v. g. aut Instrumenti inseritur in ipsa confirmatione, vel saltem clausula, Ex certa scientia, prout infra magis declarabitur. Suar. cit. cap. 18. n. 4. & 5. Barb. in Collect. in princ. n. 6. & 7. & in cap. Cum dilecta; 4. n. 12. & 13.

III. Porro hæc duæ species confirmationum in eo potissimum inter se differunt, quòd illa, quæ fit in forma communi, nullum novum jus, neque valorem tribuit actui, cui accedit, sed supponit, actum esse validum; ideòque approbat actum, quatenus subsistit, seu de jure validus est, juxta cap. 1. & 2. h. t. etiamque maiorem firmitatem, & auctoritatem addit. Quare non innovat actum, seu de novo eum validum facit, qui prius erat invalidus: nam, quod non est, non confirmatur, cum qualitas, seu adiectio supponat lubiectum, sed, si valet actus, qui confirmatur, tunc dat ei firmitatem.

mitatem, & auctoritatem propriam confirmantis, juxta l. r. §. Sed neque. C. de ver. jur. enucl. ubi Imperator ait: Omnia nostra facim⁹; quia ex nobis omnis eis imperietur auctoritas, hoc est, quibus nostram auctoritatem impartimur, ea confirmando: quamvis enim hæc regula explicari solet de confirmatione ex certa scientia, tamen etiam suo modo extendi potest ad confirmationem in forma communi, si cadat in materiam habilem, & effectum suum sortiatur: tunc enim res illa, quæ confirmatur, non tantum inferioris, qui eius auctor fuit, sed etiam Superioris, qui confirmat, auctoritate subsistit, ita, ut confirmans dispositionem, sive actum illum suum efficiat; prout docet *Suar. cit. loc. num. 10.* dummodo tamen actus ille subsistat, seu secundum se sit validus; quia confirmatio in forma communi non extendit actum, quem confirmat, ultra id, quod in eo continetur, sed tantum magis corroborat, & indissolubilem reddit: nam confirmare, ex vi propria significationis suæ, non est aliquid de novo tribuere, sed tantum approbare, seu roborare, quod datum, vel factum est, ac perinde aliud est innovare, seu de novo dare, aut concedere, aliud confirmare. *Tusch. V. Confirmatio conclus. 709. num. 19. Suar. cit. loc. num. 8.* sic v. g. postquam sententia Judicis à Superiore Judice in forma communi est confirmata, non potest ea ab inferiore Judice retractari, aut rescindi, dummodo valida fuerit: quamvis ipsæ partes, in quorum favorem confirmatio facta fuit, possint à sententia recedere, v. g. per transactionem; quia nemo cogitur in vitus uti beneficio sibi concessio.

I V. At verò confirmatio, quæ fit in forma speciali, seu ex certa scientia, si nimirum Princeps actum approbans, seu confirmans plenam causæ cognitionem se habere, significet, novum Jus tribuit actui, qui confirmatur, eumque, si forè prius invalidus erat, firmum facit, & validum, supplendo defectus illius, dummodo potestas confirmantis ad actum validandum se extendat, sive defectus talis sit, quem Princeps supplere possit, & quandoque rationabiliter solet; prout constat ex *cap. 1. de transact. ubi Glos. fin. ait: Si transactio, vel pactum ab initio invalidum sit, per confirmationem Papæ sumit vigorem, & sententia, quæ non tenet, per confirmationem Papæ efficitur valida. Idemque est de testamento carente requisitis solemnitatibus. Ratio est, quia confirmatio ex certa scientia, sive cum plena causæ cognitione, non est nuda, & simplex confirmatio, sed est nova potius concessio, & in effectu dispensatio; ideoque vim habet actum nullum reddendi validum. *Decius ad Rubric. h. t. circa finem. Suar. cit. cap. 18. num. 12.**

Aliud exemplum utriusque confirmationis est, si S. Pontifex privilegia olim concessa alicui Ordini Religioso, & postea per Papam, vel per Concilium Tridentinum revocata, seu sublata, nunc in forma speciali, seu ex certa scientia denuo confirmet; adeoque innovet, ac de novo concedat illa privilegia; non obstante eorum revocatione, iterum reviviscunt, & revalidabuntur, cum Papa facultatem habeat talia privilegia, etsi revocata, innovandi, sive denuo concedendi; & voluntatem etiam, quippe quam, ut supponitur, sufficienter expressit. Aliud est, si talia privilegia, postquam revo-

cata sunt, nunc iterum confirmantur solum in forma communi: non enim per illam confirmationem reviviscunt, vel revalidabuntur; cum per institutionem confirmationem nulla fiat nova concessio, sed pura privilegiorum olim concessorum approbatio, seu corroboratio, quæ non potest valorem derogare privilegii, quæ per revocationem sublata sunt, & revalida reddita. *Læym. lib. 1. Theol. moral. tract. 1. cap. 23. num. 16. q. 4.*

§. II.

Ex quibus signis cognosci possit, quid confirmatio alicuius dispositionis, vel actus facta sit in forma communi, vel speciali?

V. Assertio 1. Omnis confirmatio censetur facta in forma communi, & ordinaria, nisi aliquid signum apponatur, ex quo constet, illam factam esse in forma speciali; ut docet *Card. Tusch. P. Confirmatio; concl. 708. num. 11. Suar. cit. cap. 18. num. 11.* nam confirmatio simpliciter facta, si ei nihil addatur, secundum se præcisè supponit, rem esse, quæ confirmatur, cum sit accidens illius: non enim actum, seu non subsistentis nullæ sunt qualitates, & confirmatio non est sine subiecto per se subsistentem.

Non obstat *cap. Quia diversitatem; §. de cons. præbend.* ubi dicitur, per confirmationem in forma communi confirmari beneficia, & præbendas, si iuste, & pacificè possidentur, & in *cap. Examinatio; h. t.* dicitur, quædam confirmatio esse facta in forma communi; quia data fuit sub hac forma: *Sicut ad idum provide latum fuit, & ab utraque parte receptum.* Ergo ad confirmationem in forma communi requiritur, ut addatur particula quedam, sive clausula, sicut *providè factum est, vel, prout est in us, vel, ut æquivalens, per quam ostendatur, quod sit simpliciter & pura confirmatio, & non innovatio, seu novatio concessio.* Nam respondetur: in *cit. cap. Quia diversitatem;* non dicitur, necessarium esse ad confirmanda beneficia in forma communi; ut in tenore confirmationis addantur illa verba, *sicut iuste, & pacificè possidentur,* sed dicitur, hunc esse sensum confirmationis in forma communi. Similiter in *cit. cap. Examinatio;* et illa clausula rectè quidem colligitur, confirmationem esse in forma communi, quando tenor actus confirmati non inferitur, non tamen ibi dicitur, quod illa clausula sit signum necessarium, ita, ut, quando omittitur, confirmatio non sit facta in forma communi. *Suar. cit. loc.*

VI. Assertio 2. Confirmatio in forma speciali, sive ex certa scientia censetur facta, si in Instrumento, seu Rescripto confirmatio inferatur totus tenor dispositionis, vel actus, quæ confirmatur; tunc enim constat, Principem habentem rei scientiam, seu cognitionem habuisse; ideoque non obstante defectu aliquo, vel se auctoritate suâ dispositionem, vel actum confirmare, & firmum, validumque reddere; ut constat ex *c. Venerabilis; §. h. t.* Nam cum inter Archie-

» piscopū Nicosensem, & Suffraganeos eius, ex una
 » parte, & inter Regem, Barones, & milites Cypri ex
 » altera, amicabilem compositionem super quibusdam de-
 » cimis facta fuisset, eo adiecto; ut quocumque Apo-
 » stolicā auctoritate confirmaretur, & tunc statim
 » executioni mandaretur; Pontifex eam confirma-
 » vit, & ad majorem rei evidentiam, litteris con-
 » firmationis tenorem compositionis inseruit. Sed
 » Rex, cum suis, illam observare recusavit, frivole
 » præterens; tum quòd in litteris Papæ verbum
 » confirmationis juxta Romanæ Curie stylum, ante
 » compositionis tenorem, fuit positum (& ideo fuit
 » hoc frivolum; quia non valuisent litteræ, si con-
 » tra stylum Curie imperata fuissent. *Hofiens. hic*
 » *V. Juxta* tum quia clausula usitata, scilicet, *sicut*
 » *sine pravitate providè facta fuit*, in eisdem litteris
 » continetur. His tamen non obstantibus, man-
 » dat Papa Honorius III. ut, si res ita se habeat (id
 » est, si compositio confirmata fuit, tenore eiusdem
 » inserto; adeoque ex certa scientia. *Gl. fin. hic* &
 » *Hofiens.*) tum Rex cum suis, dictam compositio-
 » nem adimplere debeat.

VII. Ex decisione huius c. colligitur primò.
 Quòd, quando in Rescripto confirmationis tenor
 transactionis, vel alterius dispositionis, quæ confir-
 matur, specificè est insertus, tunc censetur confirma-
 tio facta ex certa scientia confirmantis, eaque tenet.
 Imò, etsi compositio illa, vel alia dispositio aliàs non
 valeret, si tamen Papa, vel Princeps, tenore illius in-
 fertò; adeoque ex certa scientia eandem confirmet,
 ea valebit. *Gl. magna hic, & V. Tenor compositionis.*
 Idque procedit, etiam si Papa, vel Princeps, post ple-
 nam cognitionem transactionis, vel alterius disposi-
 tionis, eam confirmet, adiecta clausula, *sicut sine pra-*
avitate providè facta est; quia tunc illa vocula, *sicut*,
 non debet accipi conditionaliter, sed causaliter pro
 quia, ita, ut sensus sit; quia nobis constat, dispositio-
 nem hanc ad actum esse providè, & rectè factam;
 ideo illam confirmamus. *Gl. hic V. Sicut; & Abb.*
n. 2. & in c. Examinata; 7. num. 5. eod. unde Papa hic
 mandat; ut compositio illa amicabilem impleatur, &
 executioni mandetur, non obstante prædicta clausu-
 la. Secus verò est, si tenor transactionis, vel alteri-
 us dispositionis non sit insertus confirmationi: tunc
 enim clausula illa, *si providè facta est*, in confirmatio-
 ne apposita nihil operatur, nec validum reddit actum
 secundum se irritum. *Gl. in cit. c. pen. V. Tenor; h. t.*
 & sumitur ex *cit. c. Examinata; h. t.* ubi non obstante
 confirmatione Papali arbitrii lati, cui clausula adie-
 cta fuit, *sicut providè factum fuit*, illud declaratum fuit
 irritum; quia, si tenor actus confirmati non sit in-
 sertus confirmationi, etsi prædicta clausula sit inserta,
 censetur confirmatio tantum facta in forma commu-
 ni, ita, ut non tribuatur valorem actui secundum se ir-
 rito: tunc enim vocula *sicut*, accipitur conditionaliter,
 non causaliter; ut tradit *Gl. fin. ibid. & Abb. n.*
3. & 5. Ratio diversitatis est; quia, quando tenor
 dispositionis, vel actus inseritur in confirmatione,
 tunc, cum Princeps confirmans habeat plenam cogni-
 tionem rei gestæ, clausula illa, *sicut providè factum fuit*,
 non potest commodè intelligi in sensu conditionali,
 cum de re tota constet Principi, sed solum in sensu
 absoluto, seu causali, videlicet: confirmo hoc; quia
 constat mihi, esse providè factum. At verò quando

non inserto tenore dispositionis, vel actus confirma-
 ti, ponitur in confirmatione prædicta clausula, tunc
 intelligi debet conditionaliter; quia, cum Princeps
 præsumatur ignorare ea, quæ in facto consistunt,
 non est verisimile, quòd velit affirmare absolute id,
 de quo ipsi non sufficienter constat, sed solum sub
 conditione, si providè, seu rectè actus sit gestus. *Abb.*
in cit. c. Examinata; n. 5. h. t. Suar. cit. c. 18. n. 5.

Colligitur secundo. Licet verbum confirma-
 tionis præcedat tenorem rei confirmatæ, non ideo
 vitatur confirmatio, ut si v. g. in litteris confirma-
 tionis dicatur: compositionem inter vos factam Au-
 thoritate Apostolica ex certa scientia confirmamus,
 cuius tenorem duximus præsentibus inferendum,
 qui talis est &c. *Joan. Andr. in cit. c. pen. num. 1. &*
3. Imol. ibid. num. 1. Imò talis ordo est conformis
 stylo Curie, adeoque sive verbum confirmationis
 præcedat, sive subsequatur tenorem rei confirmatæ,
 tenet confirmatio.

VIII. Assertio tertia. Censetur præterea con-
 firmatio facta à Papa, vel Principe in forma speciali,
 quando in Rescripto, sive litteris confirmationis ex-
 pressè adiecta est clausula: *Ex certa scientia*: tunc
 enim, licet non sit insertus tenor dispositionis, vel
 actus, qui confirmatur; tamen Principi affirmanti,
 se sufficientem rei cognitionem habuisse; adeoque
 non ignorasse defectum, qui per eius potestatem sup-
 plendus fuit, credendum est, juxta *Clement. unic. de*
probation. Abb. in cit. c. Examinata; n. 6. h. t. Suar. cit.
c. 18. num. 6. neque verò necessarium est, ut hac
 ipsa verba formalia in confirmatione exprimentur,
 ut censetur esse confirmatio ex certa scientia, sed
 sufficit, quòd ex alijs verbis Rescripti confirmatorij,
 vel ex narratis in illo constet, Principem, cum ple-
 na causæ, seu facti cognitione, dispositionem, vel
 actum confirmasse; ut ex communi docet *Abb.*
in c. Cum inter; 5. num. 7. de exception. & ibid.
Felin. num. 2. Suar. c. l. imò sufficit etiam, si con-
firmatio fiat per verba æquipollentia, veluti: Ex
plenitudine potestatis, aut: Non obstante quacunque
lege, aut consuetudine, quæ sit in contrarium, & di-
spositionem seu actum, nisi ita confirmaretur, ir-
ritum redderet: nam per huiusmodi clausulam si-
gnificat Papa, vel Princeps, se velle confirmationem
dare, non secundum commune Jus, sed supra, vel
contra Jus ordinarij; quod non præsumitur fa-
cere, nisi ex certa scientia. Felin. c. l. num. 7. & in
c. Nonnulli; 28. num. 12. in 4. fallent. de rescript. Suar.
6. l.

IX. Ceterum quòd dictum, confirmationem
 in formâ speciali, seu ex certa scientia jus, & va-
 lorem tribuere actui secundum se irritò, supple-
 do defectum illius, id Limitandum est I. Si defe-
 ctus, quo dispositio, vel actus, qui confirmatur, la-
 borat, sit contra Jus positivum, quippe in quo Prin-
 cept dispensare potest, ut, quia forma non est ser-
 vata; non item, si sit contra Jus naturale, adeoque
 indispensabilis; ut, si contractus fuit usurarius, vel
 etiam contra Jus gentium: tunc enim per confirma-
 tionem Principis, tamen ex certa scientia, vel qua-
 libuscunque adiectis verbis, vel clausulis facta dica-
 tur, non poterit validari. *Abb. in c. 1. num. 5. de*
transact. Imola ibid. num. ult. Aug. Berouin in c. 1.
num. 27. h. t.

Limitandum secundò. Si Princeps in defectu, quo dispositio, vel actus, qui confirmatur, laborat, dispensare quidem absolute possit, sed nunquam soleat; tunc enim per verba generalia: *Confirmamus ex certa scientia, vel per plenitudinem potestatis &c.* non censetur suppleri defectus, qui specialem eius expressionem exigit, cuiusmodi est personæ inhabilitas, si nulla fiat illius mentio specialis. Exempli gratiâ confirmatio electionis factæ de intruso, licet dicatur facta ex certa scientia, censetur subreptitia, nisi mentio fiat intrusionis. *Abb. in cit. cap. 1. num. 5. de transact. Imola ibidem in fine. & Laym. num. 3. in fine.*

Limitandum tertio. Si Princeps defectum, seu nullitatem actus suppleri non possit, sine præiudicio alterius, non censetur per clausulam, *ex certa scientia*, velle derogare iuri alterius acquisito, nulla de eo factâ mentione, saltem si agatur de magno præiudicio tertii. *Gabriel lib. 6. commun. conclus. de clausulis conclus. 1. num. 10.* Exempli causâ, si alicui possessiones per violentiam acquisitæ confirmantur à Principe, ex certa scientia, confirmatio subreptitia censetur, nisi fiat mentio violentæ occupationis, vel nisi aliunde constet, Principem eius notitiam habuisse. *Tusch. V. Confirmatio conclus. 710. num. 22. Beroius in cit. cap. 1. hoc tit. num. 28. ubi num. 30. addit, quòd clausula, Ex certa scientia, nihil operatur in iis, quæ Princeps ignorare præsumitur, ut sunt illa, quæ in facto consistunt, veluti statuta, & consuetudines locorum. Arg. cap. 1. de constit. in Sexto. nisi aliunde constaret; ut, quia tenor rei esset expressus.*

X. Ex dictis inferitur: Si actus confirmandus irritus sit, ob defectum consensûs in contrahente, vel aliter disponente; tunc non potest per solam confirmationem Principis, etiam ex certa scientia factam, ex nullo fieri validus; quia Princeps non potest consensum alienæ voluntatis suppleri, nec naturalia impedimenta, vel inhabilitates tollere. Vnde non potest Papa per solam confirmationem suam professionem, vel matrimonium invalidum, ob defectum consensûs unius contrahentium, vel professionem emittentis, facere firmum, & validum; quamvis possit tollere impedimenta irritantia actum de iure humano, ut per novum consensum actus ratificetur. Requiritur ergo ad hoc, ut per confirmationem ex certa scientia actus irritus fiat validus, ut possit solâ voluntate, & potestate confirmandi fieri; ideòque non potest Papa, vel Princeps suppleri defectum juris naturalis, videlicet defectum consensûs, nisi actus sit talis, qui pendeat à mera illius facultate, cuiusmodi est privilegium, & contractus super rebus Ecclesiasticis, quem Papa potest confirmare, etsi sit invalidus ex defectu consensûs; quia v. g. Capitulum non consensit. *Abb. in cap. 1. n. ult. h. t. Suar. cit. cap. 18. num. 15.*



Quando confirmatio sit utilis, seu valida, vel inutilis, sive invalida?

XI. Assertio prima. Siquis super re litigiosa (sive, de qua lis in iudicio mora est) confirmationem à Sede Apostolica impetravit, potest iudex, et non obstante, de causa cognoscere, eamque definire: sed, si impetrans confirmationem eo tempore, rem pacifice possidebat, & postea questio exorta fuit, non est licitum, seu concessum iudici de ea cognoscere, vel eam definire, absque mandato à Sede Apostolicâ; prout deciditur in cap. Superius, in 1. h. t. Ratio prioris partis est; quia, si in confirmatione non sit facta mentio litis, cum respectu illius rei, super qua lis vertitur, est subreptitiâ impetrata, ideòque ipso iure irrita, & consequenter iudex inferior potest, eâ non obstante, procedere, cum in cognoscendo, quam in definiendo illam causam, præinde, ac si confirmatio facta non fuisset, scilicet, si in confirmatione sit facta mentio de lite, ut si dicitur: *Non obstante, quòd res sit litigiosa*; tunc non confirmatio valerit, & causa eximeretur à jurisdictione iudicis inferioris, juxta cap. ult. Ut lite pendente. *Abb. hic n. 2. & Fagnan. ibid. n. 2. 3. & 4.* Ratio posterioris partis est; quia, quando questio exorta super re confirmatâ, postea primum est exorta, et post impetratam confirmationem; tunc hæc non est subreptitiâ; quia facta ante litem pendentiam; imòque valida fuit: & quia facta fuit ex certa scientia, & de plenitudine potestatis: hinc ligantur quæ manus inferioris iudicis, ut non possit cognoscere re confirmata, nec de valore confirmationis, sed sola censeri debet esse velut advocata ad Papam, postquam ille manus apposuit actum confirmandum. *Abb. hic n. 3. & Alexand. de Nevo n. 4.*

XII. Pro declaratione huius cap. Notandum primò, Quod dictum est, si confirmatio facta ex certa scientia non sit subreptitiâ, non potest iudex inferior cognoscere de re confirmata, nec de valore confirmationis, id non procedit in iis, quæ postea de novo emergunt, & ab actu confirmato omnino separata sunt: nam de his iudex inferior, non obstant confirmatione, etiam ex certa scientia cognoscere poterit; ut docet *Abb. in cit. cap. 1. n. 10. & 11. v. g.* si possessor beneficij à Papa confirmati, postea crimen committat privatione dignum, poterit eorum iudice inferiore, v. g. Episcopo, de eo accusari, & ab ipso privari, non obstante confirmatione; quia confirmatio Ius acquisitum corroborat: ad illa autem, quæ de novo accidunt, & separata sunt, non extenditur, quæ ad incogitata, cum Papa tantum intendat confirmare Jus alicui jam acquisitum: alioquin per confirmationem Papæ eximerentur subditi omnino à jurisdictione Ordinariorum, quod non est dicendum. *Abbas hic n. 11. & Imola n. 2. in Gl. fin. Barb. in Gl. ibid. n. 1. §. Intellige tamen.*

Notandum secundò. Pacificè rem possidens dicitur, cui nulla lis super ea mota est, secundum *de co. in cap. Commissa; 35. v. Pacificam de elect. in Secundo. delictum per libelli oblationem, vel saltem citationem, ut constat ex Clem. 2. ut lite pendente &c. Verumtamen*

si controversia orta sit, sive Judicium institutum super possessione rei, non ideo sit res litigiosa, quoad proprietatem, cum possessio sit diversa à proprietate: ac proinde dominium rei interim in alium transferri potest. *Arg. Authent. litigiosa. C. de litigios. Glos. in cit. cap. 1. V. Litigiose; h. t. quamvis ipsa possessio, super qua lis pendet, efficiatur litigiosa, ita, ut in aliam, lite pendente, transferri non possit. Abb. hic num. 5. Imolan. 2. & Alexand. n. 5.*

XIII. Notandum tertio. Quamvis *Gl. in cit. cap. 1. V. Confirmationem; & V. De questione.* puet, in priore parte huius cap. sermonem esse de confirmatione in forma communi; in posteriore verò de confirmatione in forma speciali, cum plena causæ cognitione: probabilius tamen est, quòd Pontifex utrobique loquatur de eadem specie confirmationis; alioquin vitiosa æquocatione usus fuisset. Cum ergo in posteriore parte sermo sit de confirmatione in forma speciali, & ex certa scientia; ut docet *Glos. in cit. cap. 1. V. de questione. Abb. ibid. num. 4. Imola num. 2. Alexand. num. 7. & 9. & alij communiter:* nam de hac solum verè dici potest, quòd impediatur cognitionem Judicis inferioris, ita, ut de actu à Papa confirmato non possit cognoscere, nec de valore ipsius confirmationis. *Arg. cap. Cum venissent; 12. de iudiciis.* Sed quando res fuit confirmata in forma communi duntaxat, Judex inferior potest de ea cognoscere: cum enim talis confirmatio nihil de novo tribuat, non poterit hoc operari, ut Judex inferior non possit cognoscere, neque per illam Papa censetur rem, vel causam ad se advocare. Ideo dicendum est, quòd etiam in priore parte sermo sit de confirmatione in forma speciali, cum causæ cognitione: nam confirmatio rei litigiosæ à Papa impetrata, sive in forma communi, sive etiam in forma speciali, cum clausula, *ex certa scientia*, vel ex plenitudine potestatis, nullâ tamen factâ mentione de litigio, est ipso jure irrita; idè què non impedit cognitionem, seu processum Judicis inferioris; ut dicitur in priore parte huius cap. *Arg. cap. ult. Ut lite pendente; & docet Berof. in cit. cap. 1. num. 28. & 31. hoc tit.* quia clausula illa non tollit vitium subreptionis, si quidem de subreptione confirmationis notoriè, vel saltem certò constet, videlicet per confessionem partis, vel per sententiam, vel alio modo. *Berofus in cit. cap. 1. n. 32. Fagnan. ibid. n. 2. ubi ex Innocentio id confirmat: nam, quia in hoc cap. dicitur, si confirmatio Papæ sit rei litigiosæ, posse Judicem inferiorem, eâ non obstante, cognoscere, (scilicet, si in eâ non sit mentio facta de lite, ut supra dictum) non autem posse cognoscere, Judicem, si quis rem, tempore obtentæ confirmationis, pacificè possidet, utique necessariò supponitur, utroque casu confirmationem Papæ emanasse ex certa scientia: aliàs enim, si sub communi forma facta esset, sive res esset litigiosa, sive non, Judex inferior indistinctè posset in causa procedere, eamque cognoscere.*

XIV. Assertio 2. Adversus confirmationes, quæ à Sede Apostolica emanarunt, Judices inferioris res iudicare non possunt, nisi novum mandatum speciale à Papa accipiant, vel certum sit, quòd per falsi suggestionem sunt obtentæ; prout deciditur in *De confirmationibus; 2. h. t.* quod tamen intelligendum est de confirmationibus, quæ ex certa scientia, & cum causæ cognitione sunt obtentæ. *Hofstiens. hic in princ. & Ioan. Andr. n. 1.*

XV. Ubi Notandum primò. Quamvis Judex inferior non possit iudicare, vel definire contra confirmationes à Sede Apostolica obtentas in forma speciali, seu ex certa scientia, *Arg. cap. Cum venissent; 12. de iudic.* potest tamen contra confirmationes impetratas in forma communi saltem per accidens cognoscere, & definire; quia, cum per illas non fiat nova concessio, sed fundentur in re confirmata: ideo, si Judex inferior cognoscat, actum, qui à Superiore est confirmatus, secundum se nullum esse, & invalidum; consequenter etiam, sive accessoriè decernere potest, ipsam etiam confirmationem in forma communi factam esse irritam; quippe quæ actu confirmatò valorem tribuere non potest, sed ipsum validum supponit, velut principale: & ideo, eo non subsistente, nec accessorium subsistere potest; ut notat *Suar. lib. 8. de legib. cap. 18. n. 2.*

Hoc autem procedit, si Judex inferior velit cognoscere de ipsis rebus confirmatis. Si autem questio oriatur de confirmatione facta in forma communi secundum se, nempe, num legitime facta sit, seu procellerit à Papa, necne; sive an vera, vel falsa sit confirmatio, non potest Judex inferior de ea cognoscere; ut docet *Innocent. in cap. 1. in princ. h. t.* Quòd si dubium oriatur, num confirmatio facta sit in forma communi, an speciali, id examinare, ac definire poterit Judex inferior, ut sciat, an cognoscere, & iudicare possit de re confirmata, necne; ut indicat *Hofstiens. & Ioan. Andr. in cap. 2. in fine h. t.* sicut Judex, à quo est appellatum, examinare potest, utrum appellatio sit iusta, an iniusta; ut sciat, an debeat ei deferre, vel non, licet de ipsa causâ appellationis cognoscere non possit. *Alexand. in cit. cap. 2. n. 6. h. t.*

Notandum secundò. Si certum sit, vel manifestum, confirmationem etiam ex certa scientia factam, esse subrepticam, tum etiam Judex inferior contra illam iudicare, & cognoscere potest: licet enim clausula illa, *Ex certa scientia*, alioquin excludat præsumptionem subreptionis, cessat tamen ea præsumptio, si de contrario manifestè constet: si verò dubium sit de subreptione confirmationis, sive ea non sit certa, seu notoria, tum Judex inferior de ea cognoscere non potest, sine Sedis Apostolicæ mandato; ut notat *Alexand. in cit. cap. 2. n. 2. ubi num. 3. addit,* quòd certum dicatur notorium; quia non eget probatione; juxta *cap. Personas; 20. de testibus.*

XVI. Porro, quarunt hîc Doctores, an, si in lego, statuto, vel Rescripto, aut aliâ dispositione fiat mentio de confirmatione simpliciter, & sine addito, in dubio intelligi debeat de confirmatione in forma communi, vel de confirmatione ex certa scientia. Posterius affirmat *Abb. in cap. Examinata; 7. & alij apud Barb. in cap. 2. h. t.* quia verbum *Confirmatio*, suapte naturâ importat, ut reddat rem, vel actum firmum, quod facit confirmatio ex certa scientia, quæ tribuit firmitatem etiam actu invalido. Sed prius tenet *Decius in Rubr. hoc tit. num. 7. & alij apud Barb. cit. loc. n. 3.* quos & ipse sequitur; quia confirmatio ex certa scientia fit cum perfecta cognitione causæ, & quando tenor totius Instrumenti in ipsa inseritur, quæ non requiruntur, quando confirmatio fit simpliciter, nisi tamen ex adiunctis circumstantijs, seu coniecturis appareat, Papam ex certa scientia voluisse actum confirmare, ut in *cap. Apostolica;*

ut illis, serva
invalida

s super re litigiosa
ly confirmationem
potest Judex, si
cere, eamque de
ationem eo tem
postea quibus ex
necessum Judicis
abstque mandato
tur in cap. Super
quia, si in confirm
tum respectu illius
subreptionem impetrat
seque Judex
cedere, tam in co
illam causam, pro
non fuisset: secus
tio de lite, ut si
litigiosæ; tunc
existeret à Juri
ap. ult. Ut lite pend
n. 2. 3. & 4. R
ndo quæstio est, si
alium esse extor
em; tunc hæc non
pendentiam; lib
ut ex certa scientia
hinc ligatur qu
non possit cognoscere
confirmationis, sed
cata ad Papam, p
confirmando. Ab

4.
huius cap. Nov
si confirmatio facta
ia, non possit iudicare
confirmata, nec de
edit in iis, quæ post
confirmatio omnino
inferior, non obstat
scientia cognoscere po
1. n. 10. & 11. v. g.
firmati, postea crimi
poterit eorum iudice
o accusari, & ad ip
ationes; quia contin
ad illa autem, quæ de
at, non extenduntur
tantum intendat con
n: alioquin per con
abdicti omnino à Jura
non est dicendum.
Gl. fm. Barb. in Cal

Pacificè rem posside
nota est, secundum
am de elect. in Sex
vel saltem citatione
ente &c. Verum
si

lica; 22. de præbend. in Sexto. Aliàs verò in dubio confirmatio reddit actum firmum, juxta propriam suam naturam, ita, ut, si antea fuit validus, firmior reddatur: si autem nullus, talis maneat, dum aliud non apparet de potestate, & mente confirmantis: unde non sequitur, confirmationem in dubio, & simpliciter factam, esse intelligendam de confirmatione ex certa scientia. Barb. c. l. n. 4.

XVII. Assertio tertia. Siquis appellet à sententia, & impetret litteras à Papa pro retractatione sententiæ contra se latæ: appellatus verò, sive is, contra quem appellatum est, præveniens à Papa Rescriptum confirmatorium sententiæ pro se latæ, & promulgatæ priùs obtineat, in quo nulla mentio fiat appellationis; tunc non valent illæ litteræ confirmatoriæ sententiæ priùs impetratæ, sed posteriores ab appellante impetratæ. Sin autem in litteris prioribus mentio facta sit appellationis, tum non obstante, quòd in secundis litteris impetratis ab appellante, generalis clausula adiecta sit (nullis litteris priùs datis veritati, ac iustitiæ præiudicantibus) primæ litteræ confirmatoriæ sententiæ valent, & vigorem habent, donec de iniquitate sententiæ cognitum fuerit: secus autem est, si in posterioribus litteris specialis mentio fiat de litteris confirmationis priùs impetratis; tum enim istæ omnino non valent; prout statutum habetur in cap. Bonæ; 3. hoc tit. Ubi talis casus proponitur: Cùm inter duos v. g. Titium, & Caium; lite ortâ, lata fuisset sententia definitiva à Judicibus delegatis pro Titio contra Caium, hic infra decem dies ab illa ad Papam appellavit: sed Judices nihilominus sententiam executioni mandârunt (quod facere non debuissent; quia pendente appellatione nihil est innovandum. Gl. hic V. Mandârunt) cùm autem Caius appellans mox iter arripere ad Sedem Apostolicam, litteras impetravit ad retractandam sententiam contra se latam; Titius autem, pro quo lata fuit sententia, adversarium præveniens ab eadem Sede rescriptum confirmatorium sententiæ pro se latæ priùs obtinuit, in quo nulla mentio fiebat de interposita appellatione. Quare quæsitum fuit, num litteræ priùs obtentæ à Titio præiudicent litteris postea à Caio impetratis, an vice versa? Ad hoc respondit Papa Cælestinus III. quòd litteræ posteriores prævalere debent prioribus (ita, ut non obstantibus primis litteris confirmationis, Judices dati ad appellationem de ea cognoscant; quia sunt impetratæ subreptitiè, tacitâ veritate litis pendentiæ per appellationem. Gl. hic in casu, & V. Generare) sin autem in prioribus litteris mentio facta sit appellationis, tamen si in posterioribus litteris impetratis ab appellante apposta fuerit generalis clausula: Nullis priùs datis litteris veritati, & iustitiæ præiudicantibus, vel sub alia verborum forma (id est, in forma communi. Gl. hic V. Forma) tunc primæ litteræ confirmationis suum habent vigorem, donec de iniquitate sententiæ plenius fuerit cognitum, dummodo in posterioribus litteris specialis mentio non fiat de litteris confirmationis priùs impetratis: tunc enim secus esset dicendum.

XVIII. Pro explicatione huius obscuri cap. Notandum primò. Quamvis in casu huius cap. appellans impetravit litteras iudiciales à Papa, revoca-

torias executionis sententiæ, quæ facta fuit post appellationem, nullâ mentione factâ litterarum, quæ priùs ab appellato obtentæ erant super confirmatione sententiæ: tamen litteræ posteriores appellanti validæ esse pronunciantur, eò quòd litteræ prius appellati subreptitiè impetratæ fuerunt: nam, quòd priores litteræ sunt irritæ, vel saltem per exceptionem elidi possunt, tum non est opus, ut in impetratione posteriorum mentio fiat priorum; ut docet Gl. in cap. Ex tenore; 16. V. Negotia; in fine de Rescript. Abb. hic num. 2. not. 1. Ratio est, quia generaliter loquendo, ideo Rescripta, ob taciturnitatem veritatis, viciantur; quia, si Princeps scivisset, id, quòd taceretur, Rescriptum non dedisset, vel litteræ non tali modo dedisset. Atqui, si priores litteræ aliquem defectum fuerunt irritæ, tum ipsi non obstantibus, Princeps posteriores litteras nihilominus dedisset; ut in casu cit. cap. Bonæ; h. t. Ergo hæc non sunt irritæ, etiam si in illis nulla mentio fiat de prioribus, ut patet ex alibi dictis. Quemadmodum, etiam si impetratæ sint litteræ confirmatoriæ sententiæ, post appellationem, nullâ eius factâ mentione, validæ erunt, si appellatio ipso jure fuit irrita, vel inferta, vel ei renunciatum, tacitè, vel expressè; quod ob taciturnitatem veritatis non vitiat Rescriptum, quæ, si fuisset expressâ, nihilominus tale Rescriptum concessum fuisset; ut docet Alexand. in cit. cap. Bonæ. n. 5. & C. limit. 3. h. t.

Notandum secundò. Si litteræ confirmatoriæ sententiæ priùs impetratæ faciant mentionem appellationis, tamen si in posterioribus datis ad Judicem legatos super causâ appellationis, adiecta sit clausula generalis (non obstantibus prioribus litteris, si veritati, aut iustitiæ præiudicent) tamen per litteras non revocantur priores litteræ revocatoriæ sententiæ; quia posteriores solum continent clausulam generalem, neque expressam mentionem faciunt de primis. Gl. in cit. cap. Bonæ. V. Nullis litteris. Verum tamen cùm priores litteræ confirmatoriæ sententiæ tunc in forma communi datae sint, scilicet, licet illa lata erat, quæ confirmatio non tribuit novum ius, per se confirmata; adeòque non impedit, quòd tamen Judices delegati super causâ appellationis cognoscere possint, ac debeant de iniquitate sententiæ, à qua fuit appellatum: idcirco priores litteræ confirmatoriæ in suspensio manent, quoad valorem suum: nam, si sententia priùs lata per Judices delegatos super appellatione confirmetur, ita, ut ibi decernatur, rectè iudicatum, & malè appellatum, tum rata etiam, & confirmata manebit sententia, & confirmatio erit valida. Si verò sententia cassatur, & decernatur, malè iudicatum, & bene appellatum, tunc non valebit confirmatio, sed contraria sententiâ, etiam confirmatio illius contraria. Gl. in cap. Bonæ. Tam diu; & Abb. ibid. n. 4.

Et hanc esse veram, & genuinam explicationem huius c. colligit Gl. fm. ibid. & Abb. n. 5. ex Rubrica, nam quotiescunque diversæ explicationes elici possunt ex aliquo Canone, illa præferenda est, quæ toto convenit, sub quo positus est Canon: quomodo Gl. in c. Tibi; 12. V. Certo de Rescript. in Sexto. colligit quòd executor deputatus ad beneficia conferenda, beat Jurisdictionem delegatam; quia de eo agitur, de offic. Jud. deleg. in Sexto in cap. Si super 9. XIX. Abb.

XIX. Assertio 4. Confirmatio, quam Religiosus à Papa super Prioratu, vel aliâ temporali administratione, pro sua persona particulari, impetravit, tacendo, quòd esset Religiosus, est irrita, & nulla; prout deciditur in *c. Ad nostram*; §. *h. t.* Nam cum quidam Canonici Regulares Ecclesiæ Nemanensis ab Innocentio III. confirmationem suarum administrationum impetrassent, tacendo, quòd essent Regulares: hoc intellecto, Papa mandat Episcopo, & Præposito Vticensi, ut huiusmodi confirmationes ab ipsis Canonicis, cum Regulares existant, sic impetratas irritas, & inanes, esse declarent, cum Sedes Apostolica non soleat talia beneficia Regularia personaliter Regularibus confirmare.

XX. Idem quoque statutum est in *c. Porrecta*; §. *6. h. t.* Nam, cum relatum esset Innocentio III. quòd plures Religiosi, qui Prioratibus, vel alijs administrationibus præerant, litteras confirmationis super beneficijs suis, quoad vixerint, possidentis, à Pontifice impetratas exhibeant, eaque occasione bona Prioratuum distrahant, & consumant, asserentes, se quoad Prioratus illos Prælati suis non subesse (prout habetur in integra lectione huius.) ad hoc respondit Papa, se non credere, quòd huiusmodi litteræ à Cancellaria sua emanarint: quare mandat alicui à se delegato, ut Religiosos, qui tales litteras exhibuerint, in quibus Prioratus, vel Administrationes confirmantur, tanquam falsarios puniat. Si verò in litteris confirmationis non fiat mentio Religionis: tunc eas tanquam subreptitias, ob tacitam veritatem, irritas esse, declaret. Ratio est; quia Papa non solet faciliè Prioratus, aliave beneficia regularia, ad tempus vitæ suæ, Regularibus confirmare; quia, si ipsis administratio beneficii sui Regularis à Papa confirmaretur, non possent, arbitratu Abbatis sui, seu Præpositi Regularis, ab eo beneficio amoveri, & ad Claustrum revocari: talis ergo concessio, seu confirmatio abstraheret Regulares à perfectione obedientiæ, & paupertatis. *Arg. c. Abbates*; 16. §. *Monachi*; *caus. 18. q. 2. Abb. in cit. c. Ad nostram*; num. 2. & §. *6. h. t.* ideòque censeri debet subreptitiè impetrata à Papa: neque enim Papa, nisi id exprimat, censetur voluisse derogare Iuri communi, secundum quod beneficia regularia plerumque sunt manualia, ita, ut Regulares ab ijs, ad nutum Superioris sui Regularis amoveri possint, juxta *c. Cum ad Monasterium*; §. *Tales*; de *statu Monach.* & quando Rescripta, seu litteræ etiam gratiæ impetratæ sunt contra Ius commune, aut stylum Curie, non sunt censenda ab illa emanasse, sed de falsitate debent esse suspecta. *Arg. c. 2. De Rescript.* ideòque executio eorum fieri non debet, dum Princeps certior factus aliud rescribat, juxta *l. ult. c. Si contra jus* & *c. Abb. in cit. c. Ad nostram*; num. 3. & *c. seq. num. 2.*

XXI. Notandum hic præterea primò. Quamvis in dubio non sit præsumendum, quòd Papa voluerit beneficium Regulare confirmare Religioso, ad vitam suam, cum præsumptio sit contra impetrantem, ut ex dictis patet: si tamen Papa in Rescripto confirmationis dicat, se Religioso confirmare beneficium ad vitam, ex certa scientia, vel, si exprimat beneficii qualitatem, videlicet, quòd Regulare sit; adeòque, si constet Pontificem cognovisse, quòd

beneficium Regulare sit, illudque in favorem personæ, sive motu proprio, sive ad instantiam ipsius, confirmet, tum confirmatio talis beneficii Regularis valida censeri debet, ita, ut Religiosus ab inferiore Prælato amoveri non possit, sine speciali mandato, seu licentia Papæ, nisi crimen committat, quod depositionem mereatur, ut docet *Abb. in cit. c. Ad nostram*; num. 6. & in *c. seq. num. 4. & Gl. ibid. V. Confirmantur*; *Navar. lib. 3. consil. de statu Monach. consil. 14. num. 16. edit. 2. Azor p. 1. Instit. lib. 12. c. 9. §. 8. Emman. Rodrig. tom. 1. qq. Regul. q. 34. art. 2.* Ratio est; quia, si Papa sciat, beneficium esse Regulare, & collationem eius absolute confirmet, censeri debet, quòd velit eam Auctoritate suâ corroborare, ac proinde Beneficiarius Regularis ita confirmatus non potest pro arbitrio inferioris Prælati à tali beneficio amoveri; quia alioquin ferè inutilis esset confirmatio, & indecens foret, si confirmatus à Papa in beneficio, ad libitum Abbatis Regularis, ab eo amoveri posset: nam per confirmationem Papæ, censetur Religiosus fieri obedientiarius Papæ, qui priùs erat obedientiarius sui Abbatis, & beneficium pleno jure ipsi concedi, etiamsi aliàs ad nutum auferri possit, ita, ut nequeat pro libito Prælati Regularis amoveri, & nullus, præter Papam, possit cognoscere de jure confirmato, & ipsius confirmationis: quamvis in alijs talis Regularis confirmatus maneat subiectus potestati sui Prælati, eique obedire debeat. *Abb. in cit. c. Porrecta*; num. 4. *h. t. & Suar. tomo 4. de Relig. tract. 8. lib. 3. c. 19. num. 25.*

Quare quando *Sanch. lib. 7. Moral. c. 29. num. 130.* ait quòd, si Papa simpliciter, seu absolute confirmet Religioso beneficium Regulare, ipsum nihilominus ad nutum revocari posse à Prælato suo, eò quòd Pontifex per simplicem confirmationem non censetur velle mutare naturam beneficii, quòd secundum se revocabile est ad nutum Superioris; id intelligendum est: si generaliter solum, & simpliciter confirmet beneficium, non exprimendo, quòd sit Regulare, aut manuale; adeòque, si non constet, an Papa sciverit, illud esse Regulare, & manuale: alioquin verò per talem confirmationem natura beneficii manualis non mutatur; ut notat *Suar. c. l. quia* favor iste, quòd Religiosus confirmatus in beneficio amoveri non possit ab inferiore Prælato, sed usque ad finem vitæ administratio beneficii ipsi relinquenda sit, est personalis, quippe quæ cum persona extinguitur: ac proinde Religioso defuncto, vel deposito ob crimen, beneficium regulare redit ad naturam suam, ita, ut sit revocabile, sicut priùs. Porro aliud dicendum est, si Episcopus confirmet Religiosum à Prælato suo præsentatum ad beneficium regulare: nam, etiam invito Episcopo, ipsum amovere potest Prælatus Regularis: cum enim Episcopus non possit contra Canones conferre beneficium Regulare Religioso, ad tempus vitæ suæ, non potest per confirmationem Episcopi illud fieri irrevocabile, sed potius censetur illud confirmare, secundum naturam beneficii Regularis, ita, ut Religiosus provifus maneat sub obedientia Prælati sui, & ad eius libitum à beneficio amoveri possit. *Alex. de Nevo in c. Ad nostram*; §. *m. 13. h. t.*

Notandum secundò. Si Religioso ex dispensatione conferatur beneficium seculare, v. g. Parochia, ita, ut non tantum sit Vicarius temporalis Prælati

lati Monasterij, cui Parochia est incorporata, sed ipse sit Curatus, & titulum perpetuum habeat: hoc casu non potest revocari à Prælato suo; quia Religiosus, v. g. Canonicus Regularis censetur promotus ad tale beneficium, secundum naturam beneficii, quod suapte naturâ, seu jure ordinario perpetuum est, & irrevocabile. *Abb. in c. 2. num. 3. de statu Monach. ubi ait, quod Religiosus promotus v. g. ad Parochiam secularem desinat esse subiectus Monasterio, nec ullam amplius habeat communionem cum illo; quamvis interim habitum Religionis portare debeat, & Regulam Ordinis observare, quatenus commodè potest. Arg. c. pen. de vita & honest. Cleric. Idemque dicendum est, si conferatur Religioso beneficium Regulare, extra Claustrum, quod non subest pleno jure potestati Prælati, vel Monasterij: nam, cum tale beneficium, licet Regulare, non sit manuale, sed perpetuum, & irrevocabile, non potest ad nutum sui Prælati ab eo amoveri: sicut enim non potest per solam voluntatem Prælati ei conferri, sed insuper requiritur consensus, & institutio Episcopi, seu Ordinarij, cui tale beneficium subiectum est, ita neque per solam voluntatem Prælati potest Religiosus eo privari. *Suar. cit. c. 19. num. 22. & 23.* An autem Prælati Regularis prohibito, etiam sine causa expressa, & quando aliâ revocare possit Regularem subditum, cui beneficium manuale concessum est, suo loco dicitur *infra lib. 3. tit. 31.**

XXII. Porro ex dictis colligitur præterea primò. Quod, etiamsi administratores perpetui beneficiorum Regularium, qui non possunt removeri sine causa; confirmantur à Papa, confirmatio eorum non valet, nisi id in ea exprimat; quia aliâ non possunt removeri, sine licentia Papæ; & sic impeditur obedientia, & disciplina Regularis. *Abb. in cit. c. Ad nostram; §. num. 6. & Alexan. in c. Porrecta; 6. num. 2. h. t.*

Colligitur secundò. Quod puniri quis potest tanquam falsarius, ex sola præsumptione, si nimirum Religiosus impetret confirmationem super administratione temporali, quoad vixerit; quia tale Rescriptum est contra stylum Curie Romanæ; ideoque præsumitur falsò impetratum, nisi clarè appareat, illud ex certa scientia Papæ emanasse. *Abb. in cit. c. Porrecta; num. 3. & 4. Alexan. ibid. num. 3.* In dubio autem certa scientia non præsumitur, sed onus illam probandi incumbit impetranti; quia est præsumptio contra illum. *Abb. c. l. in fine.*

Colligitur tertio. Quod confirmatio generalis Superioris non extenditur ad illicita, & invalida v. g. confirmatio statutorum, vel privilegiorum non extenditur ad statuta, vel privilegia iniusta, & illicita, neque ad ea, quæ sunt juri communi contraria; sed talis confirmatio censetur per obreptionem impetrata. *Barbos. in Collect. in cit. c. Ad nostram; num. 3. & 4. & alij apud ipsum.*

XXIII. Assertio 5. Sententia, seu Laudum contra formam juris, vel compromissi per Arbitros, licet communi consensu utriusque partis sit receptum, & à Papa, vel Principe confirmatum in forma communi, non valet; prout statuitur in *c. Examinata; 7. h. t.* nam ortâ lite, seu controversiâ inter Nobilem de Rivaria, & milites Campaniæ super jure patronatûs Ecclesiæ S. Angeli, ambæ partes

sub certa forma compromiserunt in Vicecomitem (id est Vicarium, sive Administratorem spiritualibus, & temporalibus. *Hofst. hic v. eod.*) Episcopi Sabienfis, qui Arbitrium, seu Laudum super eadem quæstione promulgavit, quod ab utraque parte fuit approbatum, cuius etiam confirmatio à Calestino III. obtenta fuit. Sed successor illius Innocentius III. causâ examinâtâ, scribit: cum arbitrium, seu Laudum contra formam juris (quia in eo erat error juris expressus. *Abb. hic num. 2. V. Juris*) & compromissi promulgatum fuerit: ideo non obstante confirmatione Papæ, quæ illud confirmaverat, sicut providè latum fuerat, quod ab utraque parte receptum (adeoque in forma communi) decernit, tale arbitrium esse irritum, & inane.

XXIV. Ratio decisionis est; quia, cum arbitria ad formam iudiciorum redacta sint, & de recepti. arbit. sicut sententia, quæ est contra Rescriptum lata, nulla est; ita & arbitrium, si sit contra scriptum lata, vel contra formam compromissi, non potest ex partium consensu approbari; quia, ut sententia, seu Laudum sit aliquid juris, non dependet à partium consensu, seu voluntate. *Gl. in Juris; & Abb. num. 4.* Nec obstat, quod in *l. Communia utriusque judicij &c. junct. Gl. in dicitur* quod sententia nulla partium consensu approbatur potest, ita, ut saltem ex vi pacti, etiam non ex voluntate, seu Laudum decretum est, partium voluntati, seu dispositioni, aut transactioni sit subiectum; non concernit merum earum favorem, quod non est casu huiusmodi in quo agitur de jure patronatûs, non est subiectum quorumlibet privatorum voluntati, aut pacto; sed non nisi secundum dispositionem competere potest, ut patet per sententiam personis laicis: nam hic erat lis, seu controversia super Ecclesiâ, id est, super jure patronatûs ipsius Ecclesiæ, quod laici etiam possunt quoad se habere, & super illo compromittere, sed secundum dispositionem SS. Canonum, ut in casu huiusmodi compromissum in Vicarium Sabinensem, qui est Clericus. *Abb. hic num. 4. & Alex. num. 6.* Sed per confirmationem Papæ factam in forma communi purgatur vitium nullitatis sententiæ, seu Laudum, quia talis confirmatio non tribuit valorem actui, qui secundum se est irritus, sed tantummodo conservat. *Gl. hic V. Non obstante confirmatione &c. in c. h. t. V. Confirmationem.* Censetur autem talis confirmatio in forma communi, quando in ipsa inferitur tenor rei confirmatæ, sed apponitur sola confirmans hunc actum, sicut procedit quando tunc enim particula *sicut* accipitur conditionally non causaliter, ut supra dictum; ideoque non valet actum, cui accedit. *Abb. hic n. 5. & Alex. num. 6.*

XXV. Assertio 6. Confirmatio Papæ Principis facta in forma communi non potest juri alterius; prout sumitur ex *c. Sua nobis; ult. h. t.* ubi cum Legatus Papæ, Cardinalis, & de Latere quadam Monasteria alijs Ecclesijs, conventibus, & Clericis Diocesis Constantinopolitanæ contulisset, aut in spiritualibus, & temporalibus incorporasset, easque collationes Papa confirmasset,

ea arcepta occasione, ij, quibus illa Monasteria collata, vel incorporata fuerunt, Patriarchæ Constantinopolitano obedire, & jura Patriarchalia præstare recusarunt. Hoc intellecto, Papa Honorius III. rescribit, se nolle, ut per huiusmodi collationes, aut confirmationes, jura, quæ Diocæsibus debentur, minuantur, aut tollantur. Quare mandat, ut rejectâ hac frivola præfensione, ij, quibus tales collationes factæ sunt, Patriarchæ Constantinopolitano, velut suo Metropolitanò, & Ordinario, reverentiam, & obedientiam exhibere, eique debita jura integrè persolvere curent. Ratio est; quia collationes, aut incorporationes Monasteriorum, aliarumque Ecclesiarum, si Episcopo Diocæsano subjectæ fuerunt, censentur fieri, salvis jure Episcopalis, nisi enim sua jura unicuique Episcopo servarentur illæsa, totus Ordo Ecclesiasticus confunderetur. *Gl. hic V. Minus, & Innocent. in princ. Nam Legatus à Latere non potest jus alterius tollere, Ecclesiam v. g. Episcopo subjectam omnino eximendo ab eius jure, ac jurisdictione; quamvis Papa id possit per plenitudinem potestatis, qui potest jus uni Ecclesiæ quæsitum auferre, & alteri dare. Clement. 2. junct. Gl. V. Sedis Apostolicæ; de relig. domib. Innocent. hic, & Alexand. n. 3.* Verumtamen non est censendum id facere velle, nisi hoc specialiter exprimat. *Hofstiens. hic V. Minus;* imò nec licet, & convenienter id facere potest, absque justa causa, & nisi utilitas publica id exigat. *Abb. hic n. ult.*

Porro ex *cit. c. ult.* colligitur, quòd Monasteria, aliæque Ecclesiæ, præter eorum primam fundamentum, auctoritate Papæ aliis Ecclesiis, aut Ecclesiasticis personis conferri possint ex causa rationabili; prout habetur in *c. 2. de relig. domib.* & constat ex praxi Ecclesiæ. Imò etiam Legatus Papæ, si sit à Latere, seu Cardinalis, potest talem mutationem, seu incorporationem facere; quia tales Legati habent potestatem conferendi, & uniendi beneficia, juxta *c. 1. de offic. Legat. in Sexto.* de quo alibi.

S. IV.

An innovatio privilegiorum habeat vim Confirmationis, ita, ut novum Jus tribuat?

XXVI. Ad hanc quæstionem respondetur: quamvis privilegia, sicut & alia instrumenta, propter vetustatem, ne corruptantur, & pereant, renovari possint: attamen sicut confirmatio privilegiorum, ita & innovatio nihil novi juris tribuit, sed antiquum, si quod competeat, conservat, & corroborat; prout constat ex *c. Ex parte; 13. et c. Quia intentionis; 29. infr. de privileg. & ex c. Cum dilecta; 4. h. t. ubi habetur, quòd Abbatissa, & sorores Monasterij Cardevensis petierunt ab Innocentio III. innovari sua privilegia, ne ob vetustatem consumerentur. Is mandavit quatuor Episcopis, & totidem Abbatibus, ut illa privilegia diligenter inspicerent, & tenorem eorum, sive transumptum (quia ipsa Originalia propter viarum distantiam, ac discrimina Romanam mittere tutum non erat) ipsi sub sigillis suis*

transmitterent, quod & factum fuit: cum autem Pontifex privilegia innovare vellet, quidam Canonici se opposuerunt, quòd Ecclesiæ Hildesemensis per centum, & amplius annos in possessione subjectionis illius Monasterij esset. Quare Papa, dilata privilegiorum innovatione, quibusdam à se delegatis Judicibus mandavit, ut ad idoneum locum se conferentes, citatis partibus, super ea re cognoscerent, ac inquirent veritatem. Verum ab his Judicibus pars Canonicorum Hildesemensis Ecclesiæ ad Sedem Apostolicam appellavit; postea dicta Abbatissa iterum petijt, ut privilegia Ecclesiæ suæ innovarentur. Sed pars adversa vicissim postulavit, causam viris discretis committi, qui testes producendos ad reprobanda privilegia Monasterij, & ad probandum Ecclesiam Hildesemensem legitime præscripsisse, reciperent. Pontifex considerans, Jure civili statutum esse, si periculum sit, ne ob defectum testium veritas occultetur, & probandi copia subtrahatur, etiam, lite non contestatâ, testes valetudinarios, senes, & alios, de quibus ob causam rationabilem timeri potest, ad testimonium admittendos esse: ideo simili æquitatis ratione inductus, privilegia illa (quia nimia vetustate consumpta erant, quippe, quæ non in pergamento, sed in papyro conscripta fuerunt) innovanda esse, censuit: ita tamen, ut ex hac innovatione nullum jus novum Monasterio acquiratur, sed antiquum, si quod antea habuit, per innovationem conservetur. Quia verò prædictum Monasterium ad proprietatem Sedis Apostolicæ ex privilegio Pontificio pertinere cognoscitur; ideo, ne jus Ecclesiæ Romanæ indefensum maneat, Pontifex ipsam Abbatissam procuratricem eiusdem Romanæ Ecclesiæ constituit, ita, ut nomine, & vice illius in Judicio agat, quandoquidem adversus Ecclesiæ Romanæ possessiones, ac jura, non nisi centenaria præscriptio curere, & prævalere potest. Quamobrem, cum Pontifex nolit, quæstionem de statu huius Monasterij diutius manere indecisam, mandat Decano Paderbornensi, ut tutum, ac commodum locum eligens testes recipiat, quos vel Hildesemensis Ecclesiæ ad probandam præscriptionem, vel Monasterium ad ostendendam interruptionem præscriptionis, produxerit. Quòd si legitima præscriptio, videlicet centenaria probata fuerit, neque ex adverso interruptio eiusdem demonstrata sit, tunc subjectionem Monasterij Episcopo Hildesemensi adjudicet, cum constet, Monasterium in sua Diocesi situm esse; ac postea privilegium innovatum destruat: alioquin verò (si à Monasterio probata fuerit interruptio præscriptionis) ipsi Episcopo super hac causa perpetuum silentium imponat, & Monasterium perpetuâ libertate gaudere decernat, ac privilegium Apostolicum eidem confirmet, & innovet.

XXVII. Pro explicatione huius *c.* Notandum primò. Privilegium interdum accipitur pro instrumento Authentico, in quo gratia specialis, aut concessio Principis, eiusque probatio continetur: aliquando verò pro ipso jure speciali, vel gratiâ per Principem concessâ, cuius tenor in ipso instrumento continetur. Si priore modo fiat innovatio privilegij, certum est illam non conferre jus novum; ut patet ex hoc *c.* ibi: *prædicta privilegia*

privilegia jam nimia vetustate consumpta duximus innovanda, nolentes, quod ex innovatione huiusmodi novum jus Monasterio acquiratur, sed antiquum (si quod habet) per innovationem privilegii conservetur: & in eodem sensu loquuntur Canones supra allegati. c. Ex parte; 13. & c. Quia intentionis; 29. de privileg. Ratio est; quia per talem innovationem instrumenti non confirmatur secundum se jus privilegii in eo contentum; quia illi novum robur, aut valorem non addit, sed ad hoc solum fit, ut facilius, ac diuturnius sit eius probatio; dum ex veteri instrumento exemplari privilegii antiqui, quod jam vetustate consumptum est, novum instrumentum extrahitur, quod eiusdem sit auctoritatis cum Originali: quamvis idem jus privilegii sit in pluribus instrumentis contentum: quomodo etiam dicitur, per talem innovationem conservari privilegium; quia perditum, vel consumptum instrumento, perditur jus privilegii, saltem quoad forum externum, seu probationem, & ideo per renovationem illius quodammodo conservatur jus privilegii in eo contentum. *Suar. lib. 8. de legib. c. 20. num. 3.* Si vero secundo modo fiat innovatio privilegii; tunc distinguendum est: nam vel in forma communi fit innovatio ipsius gratia, seu privilegii concessi; vel in forma speciali, & ex certa scientia. Si in forma communi; tunc, sicut confirmatio facta in forma communi non tribuit novum jus, ita nec innovatio privilegii: ac proinde, si innovatur in forma communi privilegium invalidum, vel revocatum, vel amissum per contrarium usum, vel non usum, nihil confert; sicut nec confirmatio; quia fundamentum deficit, videlicet ipsum privilegium, quod confirmari, vel innovari non potest, cum sit invalidum, vel esse desierit. Si vero innovetur privilegium validum, tum confert talis innovatio ipsi ad summum maius quoddam robur, & firmitatem; sicut supra de confirmatione in forma communi dictum est. Quare in effectu non videntur distingui confirmatio, & innovatio in forma communi, sed iuxta styllum usitatissimum Curiae Romanae, geminantur interdum voces, quae eundem sensum habent, ad maiorem exaggerationem, & exprimendum affectum concedentis; ut notat *Suar. c. l. n. 6. ubi n. 5.* ait, hunc modum innovandi privilegia in forma solum communi, non esse multum in usu. Si vero innovatio privilegii fiat ex certa scientia, tum certum est conferre novum jus, sicut confirmatio facta ex certa scientia, cum qua ferè idem est, vel saltem convenit, ob paritatem rationis; ideòque aequivalet primae concessioni; quia est nova redintegratio, ac proinde reddit iterum validum privilegium lapsu temporis, vel ex alia causa amissum, & à fortiori in pristinum statum illud restituit. *Suar. c. l. n. 8. Emman. Rodrig. tom. 1. qq. Regul. q. 8. art. 3. in fine. Barb. in Collect. in cit. c. Cum dilecta; num. 10. & duobus seqq. h. t.*

XXVIII. Notandum secundò, si petitio sit, ne instrumenta pereant, & corrumpantur, petens renovari, etiam absente parte adversa, dummodo originale non sit ita corruptum; quin adhuc legi possit iuxta c. Cum olim; 12. de privileg. *Abb. in cit. c. Cum dilecta; n. 17.* neque ad innovationem necessitas est litis contestatio; prout de testium receptione est statutum in c. ult. §. Sunt & alii: Ut lite non contestata, quia, cum res hæc sit modica, & non magis parata, sufficit summaria cognitio, absque litis contestatione. *Abb. in cit. c. Cum dilecta; n. 21.* Ex quo inferitur, quod etiam in dispositione exorbitante à iure communi, ob omnimodam similitudinem, seu identitatem rationis, potest fieri extensio, ita, ut excepta communi regula, non tantum in illo casu, sed etiam in aliis similibus locum habeat; quia tunc non dicitur fieri extensio de casu ad casum non expressum, sed potius censeri debet esse comprehensio, seu extensio, ut docet *Berovius in cit. c. Cum dilecta; n. 10. & 11. & patet ex eod. c.* nam à communi juris regula, testes non recipiantur ante litis contestationem, & reputatur ille casus, quod testes valetudinatij, & senectute illam possint recipi, ob periculum in mora, nisi *Sunt & alii;* ergo ob identitatem rationis, idem procedendum est de privilegio, si periculum sit in mora; argumentatur Pontifex in hoc c.

XXIX. Notandum tertio, Episcopus Ordinarius contra Monasterium, vel aliam Ecclesiam exemptam, & immediate subjectam Papæ, quantum est ex parte suæ Ecclesie, potest prescribere, & innovare, sed quatenus est ex parte Ecclesie Romanae, non præjudicat, non prescribit, nisi 100. annis, c. Abodiensis; 12. de prescript. *Abb. in cit. c. Cum dilecta; n. 6. & 11. & Alexand. n. 15.* & colligitur ex ratione, quia Abbatisa, cui competit administratio Monasterij, poterat agere in Iudicio pro iuribus Monasterij, ideo Pontifex dedit ei potestatem, & mandatum agendi, etiam nomine Sedis Romanae in Iudicio, tanquam eius procuratrix: quamquam probabile est, quod in casu huius c. Papa ex dispensatione, vel speciali concessione Abbatisam hanc constituit procuratricem, cum alias Jure communi mulier non possit fungi munere procuratoris in Iudicio. *ff. de R. I. Gl. hic. V. Procuratricem: quamvis possit procuratrix ad negotia. l. At Prator; §. Hæc verba; ff. de negot. gest. Abb. hic n. 17.*

XXX. Notandum quarto, si quis interdu privilegium non valere, potest contradicendo impedire eius renovationem, donec de hac re cognoscatur; ut colligitur ex hoc c. quia renovari potest dare occasionem novæ litis; & ideo in fine huius c. mandatur, ut privilegium innovatum delatanti si Episcopus legitimam prescriptionem contra illud probaverit. *Abb. hic n. 5.*

& num. 16.

